

rebus amorem cohibeamus, verum etiam justitiam, id est, quo eum conferamus; nec te tantum voluisti a nobis, verum etiam proximum diligere: saepe mihi videor de profectu aut spe proximi delectari, cum bene intelligentis laude delector, et rursus ejus malo contristari, eum cum audio vituperare, quod aut ignorat, aut bonum est. Nam et contristor aliquando laudibus meis, cum vel ea laudantur in me, in quibus ipse mihi displiceo; vel etiam bona minora et levia pluris aestimantur, quam aestimanda sunt. Sed rursus unde scio? An propterea sic adficior, quia nolo de me ipso a me dissentire laudatorem meum; non quia illius utilitate moveor, sed quia eadem bona, quae mihi in me placent, jucundiora mihi sunt, cum et alteri placent? Quodam modo enim non ego laudor, cum de me sententia mea non laudatur, quando quidem aut illa laudantur, quae mihi displicent, aut illa amplius, quae mihi minus placent. Ergone de hoc incertus sum mei? Ecce in te, veritas, video, non me laudibus meis propter me, sed propter proximi utilitatem moveri oportere. Et utrum ita sit, nescio. Minus mihi in hac re notus sum ipse, quam tibi. Obsecro te, Deus meus, et me ipsum mihi indica, ut confitear oraturis pro me fratribus meis, quod in me saucium comperero. Iterum me diligentius interrogem. Si utilitate proximi moveor in laudibus meis, cur minus moveor, si quisquam alius injuste vituperetur, quam si ego? Cur ea contumelia magis mordeor, quae in me, quam quae in alium eadem iniquitate coram me jacitur? An et hoc nescio? Etiamne id restat, ut ipse me seducam, et verum non faciam coram te in corde et lingua mea. Insaniam istam, Domine, longe fac a me, ne oleum peccatoris mihi sit os meum ad impinguan- dum caput meum. Egenus et pauper ego sum, et melior in occulto gemitu displicens mihi, et quaerens misericordiam tuam, donec reficiatur defectus meus, et perficiatur usque in pacem, quam nescit arrogantis oculus.